

Christop:

Quid in concave pondati  
cum dispensatione a ty.  
pium cum non dispensan  
des postea in hoc volumet.



11  
P 201



E. 22. num. 49.

8 10

vor 1944

FESTO. HYMENEO  
**FRESIO-DVGGENIANO**  
FACEM, ADDIT

*SIMVLOVE*

BREVEM, EVOLVTIONEM, QVAESTIONIS

*P. 291*  
QVID. IN. CONCVRSV. SPONSALIORVM  
DISPENSANDORVM. ATQ. PRIORVM. CVM. NON  
DISPENSANDIS. POSTERIORIBUS. IVSTVM. SIT  
CIRCA. PRAELATIONEM

OFFERT

GRATVLAVNDVS

*He 3323*  
VTRIVSQVE, SPLENDIDISSIMI. NOMINIS. CVLTOR  
OBSERVANTISSIMVS


**THEOD. IOANN. QVISTORP**  
LL. ET. PHIL. STVD.



R O S T O C H I

STANNO. ADLERIANO

2. 3. 06.




THEODORE LIEBIG  
LEHRER DER CHEMIE  
AN DER UNIVERSITÄT  
ZU STRASBURG

AN DER UNIVERSITÄT  
ZU STRASBURG  
DIESEINER  
HERRN  
HONORABILN  
HERRN  
LEHRER  
AN DER  
UNIVERSITÄT  
ZU STRASBURG

THEODORE LIEBIG  
LEHRER DER CHEMIE  
AN DER UNIVERSITÄT  
ZU STRASBURG

THEODORE LIEBIG



VIR  
PRAENOBILISSIME. CONSVLTISSIME  
DOCTISSIME  
PRAECEPTOR. CONGNATE. AC. FAVOR. SVM-  
MVM. SVSPICIENDE. COLENDE  
SPONSE. FELICISSIME



ON. HERI est, VIR. PRAENOBILIS-  
SIME aut nudius tertius, ex quo munuscu-  
la ea, quibus cognati, clientes, & amici  
amico, patrono, necessarioque matrimo-  
nium ineunti, & obsequium & gaudium  
declarant, quaeque nuptialia vocitantur,  
donationum ex more species esse, in cepe-  
runt certe memini, legere me CATVLLVM apud poetam verum,  
aetatem. nescio, an verustatem dicam, huius consuetudinis quam opti-  
me indicantem, dum

dona cantat, ferunt praese, declarant gaudia cultu.  
quis itaq; est. qui dubitet, hunc morem, hanc consuetudinem, per tot an-  
norum seriem ad nos deuolutam ac continuatam quoq; vires necessitatis  
penc,

ne, atque obligationis fere perfectae induisse, nisi de omnibus dubitaturus? res cum ita se habeat, nemo erit, cui videbitur, me quidem, TE versus, VIR. PRAENOBILISSIME, SPONSE, FELICISSIME hoc officium hodie detrectare, vel potuisse, vel voluisse. patronum TE veneror; cognatum adamo; utrumque tanto cultu, quantus esse solet, ubi est maximus, nuptias hodie celebras cum virgine praenobilissima pariter ac omnibus sexus, corporis ut et animae virtutibus et dotibus et dotata et ornata, ecce itaque adsum cum donis nuptialibus, ac talibus, qualia TIBI a cliente, ab auditore offerri possunt grata acceptaque. OBLATIO primitiarum et DEO iucundum fuit munus; certe nec TIBI nec leue erit, nec vile. en igitur, accipe primitias meae, si qua est iurisprudentiae ut nuptiale munus; quas quidem TIBI eo libentius offero, quo minus, me illas mihi vindicare posse, credam, quasque TV eo citius accipies, quo iustius duplici ex eapite ad TE pertinent. iudicium inde TVVM expecto, quo aue doctrinarum semen TVARVM solidissimarum sparseris, qualisque inde fructus redierit. hinc nihil magis super est, nisi ut ipsas TIBI illas ante oculos ponam.

SI, QUID vnquam acrius, magisque subtiliter iuris consultos inter disputatum, certe in materia concursus sponsaliorum, quid in ea aultum bonumque sit circa praelationem hoc factum, vel tironibus in iurisprudentia constar. idcirco eos, qui occurrere hic possent casus conuolueri sedulo, iusque ad illos adplicare adlaborauerunt magnopere ad vnum omnes. nihilo tamen secius fieri non potuit, quin illis ille aufugerit, quantum mihi quidem constat, ubi sponsalia dispensanda priora cum non dispensandis posterioribus collidunt. illum itaque circa casum disquirere aliquantulum, quaeque in illo praeferenda sint, disceptare, operae pretium duxi. cumque de hoc casu nihil distinctius, specialiusue nihil in LL. statutum definitumque sit, ciuilibus; tunc vero ad interpretationem et decisionem per aequitatem nobis confugiendum; haec autem nihil aliud sit, quam rationabilitas, vid. operose docteqque conscriptam diss. iurid. IO, PAVL, KRESSII, de aequi-

quitate HELMST. 1731. & IO. ZACH. HARTMANNVM in diss. de aequitate iuridica KILIAE 1730. ac, qui primo loco nominandus mihi fuisse, CEL. DOM. ERN. IO. FRIDR. MANTZELIVM nostratem in diss. de limitibus iustitiae, aequitatis, iuris aggratiandi & arbitrii iudicis ROST. 1738. § 45. vi rationis hanc quaestionem ut euoluam fuit necesse: porro cum hic de eo, quod iustum iniustumque in hoc casu habendum, causa agatur; iustum iniustumque vero, quod ex ratione cognoscitur, pertineat ad ius naturae, secundum eius principia procedere me oportuit. iam itaque ipsa mihi res erit adgre-dienda.

§. I. VNICVS tantum, quantum mihi concipio, modus contrahendi sponsalia dispensanda, datur, scilicet, quod partes contrahentes sciant, sponsalia sua lege esse prohibita.

SCHOLION. EO clarior ut fiat quaestio dilucidiusque problema formatum, afferam casum, scis tertium gradum lineae collateralis inaequalis, iure MEGAPOLITANO SAXONICO. & BORVSSICO interdictum. iam fac TITIVM. CAIAMQ. hoc gradu coniunctos inire sponsalia: haec erunt dispensanda. fac porro SEMPRONIVM hominem extraneum, nullo nec consanguineitatis nec affinitatis vinculo cum CAIA iunctum, hac cum CAIA etiam facere sponsalia: haec erunt sponsalia non dispensanda posteriora. fac porro vtrumque CAIAM in matrimonium ducere velle, id quod moraliter impossibile, & habebis casum concursus sponsaliorum dispensandorum & priorum cum non dispensandis posterioribus.

§. II. POSSES. TIBI & fingere alterum modum, ubi personae se desponsantes ignorent prohibitionem legis. sed ille hic non venit in considerationem. cum enim in LL. prohibitiuis, uti hic, ignorare ius & scire, quoad effectum sit idem, optime hic posterior ad priorem eum, quem nos posuimus (§ I) referri & potest, & merito debet.

SCHOLION. ALIVD est in LL. meum tuumque concernentibus, ibi enim facilius locum inuenit restitutio in integrum (per principia iuris & DD. ad tit. ff. de iuris & facti ignor. commentantes.)

§. III. POSITO itaque ita stata controuersiae, vt nimirum sponsalia dispensanda contrahentes sciant, illa repugnare iuri prohibitorio, aut a) non de dispensatione cogitauere, aut b) cogitauere impetranda.

§. IIII. ET SIC se vnicus ille modus, quem ( § I. ) posuimus, in duos scindit, sit venia verbo, subcaus; dispiciendumque nobis est, quid in vtroque sit iuris. primum itaque considerandus est ille, vbi partes, quae sponsalia contrahunt dispensanda, norunt quidem prohibitionem legis, nec tamen illam dispensatione tollere animo conceperunt, postea vero extraneus alius cum alterutra parte contrahentium priorum conficit sponsalia secunda, nulla vnquam lege interdicta; quo postea decidere possimus quaestionem; horum quae binorum sponsaliorum praeferenda, quae postponenda?

§. V. SPONSALIA sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. L I. ff. de sponsal.

MENTIO autem nihil aliud est quam oblatio consensus sui ad nuptias ineundas, id, quod optime declarat vox illa idiomatis germanici, Der Intrag. &

REPROMISSIO definitur, quod sit acceptatio oblatis huius consensus, de nuptiis ineundis, vti indicat vox reutonica: das Ja Wort. vides itaque, quod in sponsalibus alter partium affirmet se velle alteri aliquid praestare, nempe nuptias cum illa conficere, alter acceptet hoc promissum, ( vi definit, mentionis & repromissionis.)

§. VI. PROMISSVM acceptatum dicitur PACTVM, ergo sponsalia sunt pactum. ( § V )

SCHOLION. DESVMTA est haec pacti definitio ex BEAT. HENRICI. KÖHLERI exercitationibus iuris naturalis §. 1277. sed si magis placet ea, quam dedit CEL. BOEHMERVS in introd. ad ius D. libr. II. TIT. de pactis §. I. eam facillime ex hac nostra deducere

tame



tamquam corollarium poteris, dum solum in verbis modo discrepamus, vult conueniamus in re.

§ VII. NON. DATVR pactum de re impossibili, vel in se vel hypothetice tali. KÖHLERVS d.l. §. 1324. coroll 1.) & 2.)

§ VIII. MORALITER impossibile dicitur id, quod respectu ad legem habito contradictionem hypotheticam in se continet. seu omne id, quod contra legem est.

§ IX. QUIDQVID valere de genere, id etiam valere debet de specie (per principia logices) impossibile moraliter est (species hypothetice impossibilis. (per definit. §. VIII.) ergo, quidquid valere debet de hypothetice impossibili id etiam valere debet de moraliter in possibili, iam autem pactum de hypothetice impossibili non est pactum. (§. VII.) ergo etiam pactum de moraliter impossibili non est pactum (per demonstr.) pactum de re legi repugnante conceptum, est conceptum de re moraliter impossibili (§. VIII) ergo pactum de re legi repugnante conceptum non est pactum. KÖHLERVS c. l. num 3) q. e. d.

§ X. SPONSALIA. DISPENSANDA nobis vocantur ea quae intendunt nuptias contra LL. prohibitiuas, beneuolentia principis ramen ad hunc casum restringibiles (§. V.) & vid: CEL. BÖHMERVM in Diss. de sublimi principum ac stat: euangelicorum dispensandi iure in causis & negotiis tam sacris quam profanis sect. I. cap 1 § 9 ibiq. perpolitam dispensationis definitionem.

AXIOMA. ERGO omnia sponsalia dispensanda sunt contra LL.

§ XI. SPONSALIA sunt pactum (§. VI.) ergo omnia sponsalia dispensanda sunt pactum contra LL. (§. X. ax:) pactum contra LL. non est pactum (§. IX.) ergo sponsalia dispensanda non sunt pactum q. e. d.

§ XII. PACTVM. PRIVS duarum personarum de aliquo obiecto praefertur posteriori alterutrius & alius pacto de eodem obiecto,  
cam

cam ob causam, ne ius prioris paciscentis, pacto adquisitum, seu pactitium, laedatur ( per principia I N. )

§ XIII. VBI. NVLLVM pactum ibi nullum pactitium ius, seu hoc pacto adquisitum ( per princ. contrad. ) in sponsalibus dispensandis talibus, vbi personae desponsatae quidem norunt prohibitionem, nec tamen de dispensatione inpetranda sollicitae fuerunt, nullam adest pactum (§ XI. I. & III. ) ergo nec vllum ius pactitium. ius pactitium paciscentis est causa, cur prius pactum praefertur posteriori (§ XII. ) & praelatio huius pacti est effectus ( per § eand. & defin. effectus ) cessante causa cessat effectus ( per principia ontol. ) ergo iure pactitio cessante cessat praelatio. in sponsalibus dispensandis talibus, qualia nos supposuimus in (§ III. ) cessat ius pactitium ( per dem ) ergo & praelatio. q. c. d.

SCHOLION. POTEST haec vltima conclusio leuiori ad huc opera sic quoque euinci. VBI non adsunt duo pacta, ibi non datur collisio pactorum ( per princ. contrad. ) iam vbi concurrunt sponsalia dispensanda, vbi partes desponsatae non cogitauerunt de dispensatione inpetranda, cum non dispensandis, vnicum tantum adest pactum, non duo (§ VI. & § XI. ) ergo ibi nulla collisio, nec exinde vlla praelatio, nec postpositio: sed sponsalia non dispensanda, siue ea, quae dispensatione non indigent, tantum sunt pactum, (§ VI. ) quod simpliciter seruandum ob ius pactitium inde enatum.

§. XIII. FACILLIMVM itaque intellectu est, quod, si adcurate loqui velimus, sponsalia dispensanda ea, vbi desponsatae personae dispensationem principis haud quaerere pensitarunt, nomen sponsaliorum proprie non mereantur, cum nomen pacti non sustineant; hincque contradictionem, vt vocant, in adiecto inuoluant: vt &, quod adcurate loquendo non detur casus concursus sponsaliorum dispensandorum talium, qualia nos supposuimus in (§. III. ) & priorum, cum non dispensandis posterioribus. verum enim vero, si quis illud sponsaliorum nomen abusue tribuere velit, pariter, vt pacta illicita quoque pacta appellare amamus; non obloquitur:  
tunc-

tuncque videbit ille, quod sponsalia non dispensanda, quamvis posterioriora, sint praeferenda dispensandis quamvis prioribus per (§. XIII.)

§ XV. IAM. QVIS persuadere sibi posset, in omni casu sponsaliorum dispensandorum non adesse (per dem.) sponsalia, & consequenter posteriorem quoque, quem (§ III.) posuimus casum, nihil diuersi iuris ab hoc habere posse: sed notandum, quod quoque, eatenus quatenus omnia sponsalia dispensanda sunt contra LL. (§ X. AX. OM.) concepta, nullam fauorabiliorem decisionem pro his posterioribus ferre possimus: notandum autem & porro erit, quod in casu hoc proposito posteriori adhuc aliquid, quod praeter antecedenti praecipuum habeat, deprehendatur, quodque illa sponsalia legitimet, id quod in sequentibus iam eo demonstratum.

§ XVI. PROHIBITIONES illae graduum in matrimonialibus, quae ulterius procedunt, quam codex facer praeter alias, eam quoque rationem & primae inuentionis & retentionis, habuerunt ut eo largiori manu principes dispensare, ac cum illud pro nummis fiat, thesaurum inde suum possent reddere ditioem BÖHMERS cit. diss. CAP. I. § 29. & IOAN IOACH. SCHOEPFFERVS in diss. viadrina 1688. habita, de dispensatione matrimoniali § VII & VIII vbi itaque pecunia & petium offertur ad dispensationem, numquam denegatur. SCHOEPFFERVS. c. l. § IX. & X. & sic (per dicta) his LL. de prohibitis gradibus matrimonialibus, ultra sacras pandectas, semper inest tacita clausula: nisi dispensatio petatur; vt ita secundum vim sensus lex ita sit: hic vel ille gradus debet esse prohibitus, nisi dispensatio petatur. vocula; NISI est particula exceptiua, iam, cum propositio in qua particula exceptiua difficultatem per sensum duplicatum adfert, vocetur: propositio exceptiua. (FRIDR. CHRIST. BAVMEISTERVS in institut. philosoph. rationalis § 204.) ac propositio talis tali legi insit, (per superiora) sequitur, vt talis lex sit propositio exceptiua. propositio exceptiua per duas separatas propositiones ita exponi debet, vt prior quid adfirmer simpliciter: posterior idem in casu speciali neget; (per principia

cipia log.) idcirco & hic talis lex ita est exponenda, vt ita euadat: hic vel ille gradus debet esse prohibitus: si dispensatio petatur, non debet esse prohibitus. hic deprehendimus collisionem duarum regularum, vtriusque cum obseruatio sit subdito libera relicta (per dicta) cum autem in collisione regularum duarum vnam necessario negligendam habeamus, nec vtramque seruare possimus; (vid KöHLERVS in I. N. § 611. & Christian Wolff in den Gedancken von Gott 2c. § 165.) subdito legi conuenienter acturo tantum altera & vnica illarum manet inpleta possibilis. si itaque alteram implet; legem inplet, altera regula in LL. prohibitiuis graduum vltra sancta biblia est: si dispensatio petatur, haec vel illa sponsalia non debent esse prohibita. (per anteced. ergo qui dispensationem a tali L. petit, illam legem inplet & seruat, q. e. d.)

SCHOL. I POSSEM hanc vltimam thesin quidem generalius adhuc ita demonstrare: per dispensationem a lege quadam tollitur ea lex, a qua dispensatur ad eum actum, ad quem dispensatio petita est. (per def. dispensationis loco supra § X cit.) ergo actus ille illi legi non magis est obnoxius (per princ. contr.) actio legi non obnoxia dicitur indifferens. vbi actus indifferens, ibi nulla lex violatur (p. def. actus indiff.) vbi lex seruat etiam non violatur. ergo ob hanc similitudinem concludi potest quod per dispensationem lex a qua dispensatum, seruetur: sed vereor, tum, ne ipse mihi in principiis contradicere videar, tum ne sub larua principii reductionis statim similitudinis in concludendo transiliam.

SCHOL. II. DVBIA. EA quae a CEL. BÖHMERO in perdocta diss. de libellis alternatiuis CAP. I. §. 12. contra sententiam de alternatione LL seu duplici earum obligatione, quam nos in LL. sponsaliis adesse diximus. mouentur, demonstrationem nostram non subuertunt, quoniam nos non feriuunt loquitur enim ibi de duplici obligatione vel ad satisfaciendum legi, vel ad sustinendam poenam; vbi a) posterius membrum non principaliter sed tantum in subsidium intenditur. contra in posito nostro casu obligatio ad petendam dispensationem

nem ( ob dicta supra in demonstratione §. ) primario intenditur & principaliter. ibi *b*) quaestio est, num obligatio in lege poenali sit alternativa respectu vel obedientiae vel poenae? cum nos loquamur de alternatione obligationis, ob duplicatum sensum legis. *c*) poena tantum est pars accidentalis legis, hic obligatio ad petendam dispensationem essentialis. *d*) in LL. aliis poenalibus non arbitrio subditorum liberum relictum, num L. feruare: num poenam sustinere velint; e contrario in his LL. de prohibitis gradibus matrimonialibus ultra prohibitionem diuinam, vtrumque in arbitrio sponsalia contrahentium dispensabilia positum est, cum numquam, nisi ex plane singulari ratione denegetur dispensatio praestitis praestandis. &c.

§ XVII. VBICVMQVE. DE inueniendis remediis fini existentiae dando sufficientibus laboramus, ibi adest voluntas efficax finem assequendi. KÖHLERVS in I, N § 529. atqui in casu nostro posito sponsalia dispensanda ineuntes cogitant de dispensatione quaerenda (per hyp § III.) tamquam de remedio legi seruandae, vt fini, sufficiente (§ XVI) ergo quicumque sponsalia dispensanda ineuntes, & de dispensatione inpetranda cogitantes habent voluntatem efficacem legem seruandi. q e. d.

§ XVIII. ACTVS. BONVS vocatur: actus legi conformis.

§ XIX. EXSISTENTIA actuum bonorum ex voluntate efficaci LL. conformiter agendi descendit KÖHLERVS saepe c. I § 564. DESCENDERE & rationem sui habere vi vocis idem est, ergo existentia actuum bonorum in voluntate efficaci LL conformiter agendi rationem suae haber existentiae. id. quod rationem existentiae suae in alio quodam ente haber dicitur eius effectus & id, quod rationem existentiae alius rei in se continet vocatur causa. ergo voluntas efficax legi conformiter agendi est causa actuum bonorum tanquam effectuum. ab existentia causae ad existentiam effectus secure concludimus (per princ. ontol.) ergo vbi voluntas efficax legi conformiter agendi est, ibi est actus bonus. in casu nostro sponsaliorum dispensandorum, vbi partes desponsatae cogitarunt de dispensatione concilianda sibi, adest voluntas efficax legem seruandi (§ XVII.) ergo ea sponsalia sunt actus bonus,

) ( 2

§ XX

§ XX. ACTVS. BONVS dicitur actus legi conformis (§ XVIII.) actus legi conformis & dicitur actus legitimus. ergo actus bonus est actus legitimus. sponsalia talia, qualia nos hic supponimus, sunt actus bonus (§ XIX.) ergo sunt actus legitimus. sponsalia sunt pactum (§ VI.) ergo sponsalia ea, de quibus hic sermo est, sunt pactum legitimum. q. e. d.

§ XXI. PACTVM. LEGITIMVM prius praefertur posteriori qualicumque (per principia I. N.) ergo haec sponsalia legitima (§. XX.) & priora (per hypoth:) praefertur omnibus posterioribus pactis sponsalitiis (§. VI.) imo, cum sponsalia legitima priora praefertantur quoque secundum LL. positivas ciuiles, in oppositione nimirum LL. posituarum diuinarum sic dictas, sponsalibus posterioribus. c. 22. & c. 30. X. de sponsalibus & JOACH. HOPPIVS in examine I. libr. I. tit. 10. quaest: 17. eo exploratior haec vltima erit conclusio. q. e. d.

SCHOLION. SEMPER tamen in tota pertractatione, huius posterioris quaestionis supponimus. ne adhuc aliorum quid defectus haec sponsalia priora dispensanda habeant: neque ob defectum consensus parentum aut curatorum, neque ob aetatem inbecillem. &c: quid quod? & pars haec bina sponsalia contrahens sustinere debet poenam reiteratae desponsationis de qua vide L. 1. ff. de his qui not: infamia quippe quae quidem infamia immediate ex L. est. vid: IAC. FRIDR. LVDOVICI in doctrina ff. libr: III. tit: II. §. IV. nec negandum, quod si princeps ex sat stringentibus rationibus, pretio peritotoque neglecto, dispensationem indulgere nolit, in exceptione falsissimum esse, quod in regula (per demonstrata) verissimum.

§. XXII. SICCINE vt ex dictis videre est, haec in quaestione decidenda totius problematis resolutio ad cogitata reuoluitur; quae cum in iudicio, non nisi circumstantiis externis & iuramento probari

bari possint; eo sane recurrendum est. quoniam autem de hoc modo probandi in LL. satis determinata ciuilibus sunt omnia, quae super sunt de probatione, num desponsatae personae dispensationem quaerere intenderint, nec ne? iuridice nobis erant prosequenda.

§. XXIII. AVT. IGITVR tot adsunt circumstantiae, tamque graues, vt nullo remanente dubio illis euinci possit, desponsatos dispensandos aut quaerere voluisse dispensationem, aut non? aut tantum tam paucae, vel tam leues, vt ex illis nil nisi praesumptio quaedam iudici fiat.

§. XXIII. SI. PRIVS ponas, per se clara res est. siue enim I.) pro desponsatis dispensandis militant hae circumstantiae externae, sufficientes ad probandum, e. c. si iam implorarunt principem vt concederet dispensationem, vtut non actu supplicam hanc pro decernenda dispensatione iam elaboratam principi reuera obtulerint, nec actu concessa iam sit; & tunc satis clare patet, illos cogitasse de dispensatione impetranda, tuncque cum suis sponsalibus erunt praeferendi posterioribus, quamuis non dispensandis (per supra dem:) SIVE II) contra illos pugnant, e. gr. si iam semel, bis vel ter publice e suggestu futuras & instantes suas nuptias declarari fecerint, nec tamen de dispensatione laborarint, & tunc tertius protestando interuenerit. Si hoc sit, quis non videt? nisi talpa coecior, desponsatos priores & dispensandos celata sua consanguinitate vel affinitate legem fallere voluisse: ac illo in casu annullanda esse per decisionem prioris casus, & posterioribus postponenda merito illorum sponsalia nulla.

SCHOLION. AT. ENIM. VERO quid, si quis mihi ex cit: CEL. SCHOEPPFERI Diff: de dispensatione matrimoniali, §. 14. dubium moueat, ante sponsalia dispensanda contracta peti oportere dispensationem, alias poenam quamdam praeter dispensationem adhuc incurrere desponsatos, quoniam nimirum ita legem principis

)( ( 3

prohi-

prohibitivam violarunt? RESPONDEO in (§. XX.) probatum dedi, haec sponsalia esse legitima, quamvis partes tantum cogitarint desponsatae de dispensatione impetranda; & legi esse conformia; hinc nullam poenam incurrere posse partes desponsatas. dubium dubio compensare volo: ponas dispensabiliter desponsatos tam esse egenos, ut statim in ipso actu pecuniam pro impetranda dispensatione conquirere nequeant; tunc aderit hypothetica impossibilitas petendi dispensationem in ipso actu sponsaliorum, quae per principia iuris naturae omnem imputabilitatem ad poenam excludet, nec conscientiam, ut putat SCHOEPPF, sugillabit. NAM si partes de dispensatione sibi concilianda cogitarunt, voluntatem efficacem legi conformiter agendi habentes, nisi culpa quamdam poenam extraordinariam, id quod in tali casu SCHOEPPFERO largior, incurrere velint, quam fieri potest citissimè, eam sibi quaerere adlaborabunt, nunquam tamen haec poena tanta erit, quanta nullitatis; ne culpam longe superet poena, nec dolo culpa hic in criminalibus quoad poenam equiparetur. L. 7. ff. ad L. CORN. de sicar §. VII. de susp. tut.

§. XXV. IAM. PONAMVS casum, quod ex circumstantiis externis, & factis nil magis praesumptione iudici resultet, & videamus, quid ibi iuris sit.

§. XXVI. CVM. HAE circumstantiae externae nil magis iudici faciant, quam praesumptionem (per hyp. §. XXV.) ex circumstantiis autem haec praesumptio eruatur (per hypoth.) sequitur ut non sit ex lege. porro, cum praesumptio iuris, & iuris ac de iure, sint praesumptiones ex lege orientes. (IO. GOTTL, HEINECCIUS elem: ff. part. IV. libr: ff. XXII. tit: III. §. 124.) sequitur, ut nec sit iuris nec iuris & de iure. iam autem praesumptio iuris & iuris & de iure, tantum habent vim plenae probationis (per princip: iuris) ergo haec praesumptio ex circumstantiis eruta non habet vim plenae probationis. probatio est vel plena vel minus plena, (per principia iuris) & praesumptiones sunt species probationis (per ead principia) ergo haec, ex circumstantiis oriens, praesumptio habet vim minus plenae probationis tantum, minus plena probatio est vel simple.



miplena, vel semiplena maior, vel semiplena minor ( per elem: iuris: ) ergo per hanc praesumptionem ex circumstantiis externis erutam vel semiplene, vel semiplena probatione magis, vel minus probabitur. quodsi semiplene ab actore vel magis probatum alias obtinet iusiurandum suppletorium, ad implendum probationem ( ex praxi: ) id quod omnino quoque in matrimonialibus, vti hic, locum habebit, quemadmodum contra SAM. STRYKIVM in introd: ad P. F. cap. 20. §. II solide probat IAC FRIDR. LVDOVICI In consistorial Process cap. 15. §. II. iam, quodsi ita semiplene vel magis probatum, partes dispensabiliter desponsatae aut sunt actores, aut desponsatae licite posteriores sunt actores. si prius praestito iuramento suppletorio plene probabunt se cogitasse de impetranda dispensatione ita sponsalia sua legitimando (§ XX.) aut desponsatae posteriores iurando iusiurandum suppletorium credere se, quod priores non cogitauerint de dispensatione, ( cerro enim illas non cogitasse de dispensatione, asserere non possunt, cum nemini alterius cogitata inspicere liceat, ) id euincunt, vt, tamquam plene probantes vincant, ac praeferrantur prioribus, ( per superiora: ) si semiplena probatione minus probatum ac reus tantum quibusdam suspicionibus grauatus est, huic defertur iusiurandum purgatorium a iudice ( per principia iuris ) quod quoque obtinet in matrimonialibus, vti hic, ( STRYCK, c. l. § 12. ) iam autem in hoc nostro casu desponsati dispensabiliter tantum vt rei possunt grauari quibusdam suspicionibus, semi plena probatione minoribus, quoniam posteriorum sponsalia non dispensanda sunt ( per hyp. ) ergo illis quoque solum vt reis hoc casu iniungi poterit iusiurandum purgatorium quo facto tota lis dirimeretur, ac diiudicabitur. i. q. e. f.

SCHOLION CVRATE ad verba: ad implendam probationem posui ( ex praxi ) ne liti me immisceam a CEL. HELNECCIO in elem: ff. libr. XII tit: II. § XIII part. III. motae; dum contra BÖHMERYM in introd: ad l. D libr. ff. XII tit: II §. 31. aliosque tam theoreticos quam practicos DD. ad unum fere omnes statuit, actore non plene probante reum absoluendum esse. L. 19. §. I. C.

de

de t. st; nec iniurando suppletorio relinquendum esse locum, non enim mihi sumam rixam inter tantos viros motam meae subii- cere leuitatis discrimini.

HAE, SVNT, VIR PRAENOBILISSIME, SPONSE, FEL- CISSIME haec, inquam sunt, quas TIBI in munus nuptiale offerre ausus sum, studiorum meorum primitiae. IAM ad vota, quae & ob- sequium & gaudium, & reuerentia suppeditare possunt, me accin- go, FAXIT, DEVS, T. O. M felicitum coniugiorum auctor sapien- tissimus, vt eius benedictionem cum coniuge TVA & venustissima & virtutibus ornatissima indies sentias maiorem, largiatur VOBIS exoptata quacuis. donet VOS laetitiis. ornet VESTRVM thalamum liberis VOS referentibus, VESTRARVMQVE virtutum, vt nomi- nis, heredibus. TANDEM VESTRVM matrimonium id esse iube- at, in quo amplitudinem bonitatis & beneficentiae suae quasi experi- ri sibi proposuerit. Sic valeas, sic faueas mihi.


TANTVM.



mc







B.I.G.

Farbkarte #13

*E. 22. num. 49.*  
*vor 1944*

O. HYMENEIO  
**OVGGENIANO**

ACEM, ADDIT

*SIMVLOVE*  
LVTIONEM. QVAESTIONIS  
VRSV. SPONSALIORVM  
ATQ. PRIORVM. CVM. NON  
OSTERIORIBUS. IVSTVM, SIT  
PRAELATIONEM

OFFERT  
ATVLABVNDVS  
NDIDISSIMI. NOMINIS. CVLTOR  
SERVANTISSIMVS

*Ne 3323*

**ANN. QVISTORP**  
T. PHIL. STVD,

**T O C H I**

NNO. ADLERIANO

